

## CAPUT XXX.

## COMITES JÖRGER.

**I**llustris Familiæ hujus antiquus splendor est. Ulricus Jörger Adelheidem filiam suam ex Agnete Uxore susceptam Ruegero ab Hohenfeld cum centum libris denariorum Anno 1350. in matrimonium dedit subscripsitque pacta dotalia Helmhardus Jörger Frater Ulrici & Cognatus eorum Ulricus ab Anhang. (a) Leonhardus Jörger sive Georger Castellanus in Wolffseck citatur à Wolffgango de Hohenfeld in documento aliquo Archivi Statuum Austriæ Anno 1419. (b) Wolffgango Jörger Eques Fridericum Junioem Austriæ Archi-Ducem in terram Sanctam comitatus est Anno 1437. (c) Alius ex hac familia nomine Wolffgango Toparcha in Reütt, quod Austriæ Superiori annumeratur, commutavit bona quædam cum Erasmo Hohenfeldero Anno 1448. (d) Catharina Jörgeria Reinperti Domini de Eberstorff Vidua ab Affine suo Alberto Eberstorffio annuos redditus dotalitij nomine sibi constitutos præsentem Fratrem Wolffgango Jörger Anno 1458. & iterum An: 1462. porro An: 1466. tandemque Anno 1469. solutos accepit. (e) Georgius Jörger domum suam Haimburgi Austriæ sitam Paulo ab Hundsheim pretio vendidit Anno 1480. (f) Wolffgango Jörger Eques sub Maximiliani Primi Imperio Supremi Capitanei Austriæ Superioris spartam ornavit. (g) Idemque interjecto deinde tempore Consiliarium Ferdinando I. Imperatori dedit, & Anno 1523. in documento quodam Puchaimiano testis citatus legitur. (h)

(a) Manuscript. Dn. Hobenecker. (b) Archivum Statuum Austriæ num. 1419. (c) Vid. Lambecii Sacrum iter Cellense. (d) Archivum Statuum Austriæ num. 2662. (e) Ibi num. 2931. it. num. 2969. & 3059. (f) Ibi num. 3214. (g) Vid. Chronicon Civitat. Styrae. (h) Document. Puechaimian.

## CAPUT XXXI.

## COMITES DE FALBENHAUBT.

**A**ntiquæ Falbenhaubtiæ gentis domicilium jam ante quadringentos annos in Carnis fuit. Hermannus & Nicolaus Fratres dicti die Falbenhaubt Anno 1307. & 1313. possederunt Castrum Griffen altissimæ rupi impositum, quod hodie Salisburgensi Archi-Episcopo paret. (a) Ex Carinthia autem ali-

X

qui